



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 20. Principum atque Illustrium fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII.

A. C. 1686.

§. XX.

*Principum atque Illustrium fata.**Theatr. Europ. t. 12.*

Inter Principes, quorum vitæ hic annus exitialis fuit, æterno encomio dignissima est Eleonora Gonzaga Ferdinandi III. Imperatoris conjux, ac Caroli II. Mantuæ Ducis Filia, Mulier non minus pietate, quam morum comitate, artiumque & liberalium scientiarum amore & studio adeo spectata, ut Aulam suam in eruditorum asyllum & literarum emporium convertisse vix esset: insigni etiam prudentiæ, ac mansuetudinis laude per integros triginta annos Aulam Cæsaream moderabatur: suæ etiam pietati initium debet Ordo Nobilium Matronarum, quæ *virtutis mancipia* vocabant: pariter in venerationem S. Crucis, cujus particula in Viennensi incendio a flammis intacta reperiebatur, erigebat Ordinem Sodalitatis sacræ Crucis: Decessit Viennæ die sexta Decembris. Hanc ejusdem Mensis die undecima sequebatur Ludovicus II. Borbonius Princeps Condæus inter ævi sui Belliduces militari scientia, Martisque fortuna longe celeberrimus, qui quamvis pro irrequieti animi sui indole per plures annos non sine magno patrii Galliarum Regni damno civi-

civilia bella aut movisset, aut promovisset, in extremis tamen mitissimæ patientiæ studium exhibuit, ac inter Religiosorum choros & preces & luculenta pœnitentiæ signa animam exhallavit. Die autem decima sexta Martii anno ætatis quinquagesimo nono obiit Charlotta Guilielmi V. Hassiæ Landgravii Filia, quæ Carolo Ludovico Electori Palatino anno hujus sæculi quinquagesimo nupta, paulopost a Mariti sui thoro disjuncta fuit. Denique Joannes Fridericus Marchio Onolsbacensis die decima tertia Martii, & Joannes Georgius Saxo-Eisenacensis Dux mortalitatem exuerunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1686.

§. XXI.

Scriptorum Catholicorum lucubrationes & obitus.

Plures ex Scriptoribus Catholicis occurrunt, qui hoc anno calamum cum vita posuere; hos inter primus est Ludovicus Maimburgus, qui decimo sexto ætatis anno Societatem ingressus, haud imitanda audacia Verbum Dei aliquamdiu annuntiabat, postea Historiæ Ecclesiasticæ studio totum se impendens, pari temeritate Pontificum, Principum, aliorumque mores carpens, non raro veritatem seposuit, ut ab eo potius

*Du Pin Bibl.
des Auth
Eccl. tom. 18.
pag. 138.
Marvill.
mel. Hist.
t. I. p. 23.*